



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 23. Evangelii Dilatatio. Christiani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

statuam Cæsaris in Judæorum Synagogam intulere. Illico Agrippa ad Petronium Syriæ Præsidem profectus, de hac insolentia conqueritur. Scripsit Petronius Doræ Magistratui; ut sibi facti auctores mitterentur; præcaveret de cætero omni tumultui; nam, inquebat: *Regi Agrippæ, & mihi nihil magis curæ est, ac omnem avertere occasionem, ne Judæi congregentur, & excandescant cum extortæ defensionis prætextu.* Successit paulopost in Prætura Syriæ Petronio Marfus. Rex Agrippa iterum Simonem Cantheram Sacerdotio exuit, volens Jonathæ Anani filio restituere; is autem deprecabatur, ut potius in fratrem suum Mathiam, suo judicio digniorem, conferretur. Secutus est Rex consilium, & Mathiam Pontificatu ornavit.

Sæculum I.

A. C. 41.

ibid. c. 6.

§. XXIII.

Dilatatio Evangelii. Christiani.

Interim Discipulorum Jesu Christi numerus crescebat semper; & cum ad Fideles, qui erant Jerosolymæ, fama pervenisset, multos Antiochiæ in Christum credidisse, miserunt illuc Barnabam; qui adveniens multum lætabatur ob gratiam, quam iis Deus concesserat, & hortabatur ad perseverantiam. Tunc iterum plurimi fidem susceperunt, Barnabas

Act. II. 21.

D 5

Tar-

Sæculum I.
A. C. 41.

ibid. v. 28.

Tarsum profectus, ut quæreretur Saulum, inventum, Antiochiam adduxit. Integro anno ibi commorati plurimos veritatem Evangelii docebant, ita, ut Antiochiæ primum Jesu Discipuli dicerentur Christiani. Illis diebus Prophetæ quidam Jerosolyma venerunt Antiochiam; quorum unus nomine Agab universalem famem prædixit, paulo post superventuram; quare Discipuli proposuerunt auxilium mittere fratribus, qui erant in Judæa, miseruntque etiam, apud Presbyteros deponendum, per manus Barnabæ, & Sauli.

§. XXIV.

Martyrium S. Jacobi. Detentio S. Petri.

Martyrium S. Jacobi. **H**erodes Agrippa prenans omnem occasionem Judæis placendi, coepit persequi Ecclesiam, incipiens ab Apostolis. *Act. 12.* S. Jacobum Zebedæi filium, Joannis fratrem, gladio occidit. *Eus. 11. hist. c. 8.* Qui Jacobum detulerat, videns quod testimonium redderet Jesu Christo, poenitentia tactus, publice se Christianum fatebatur. Ergo ambo ducuntur; in via delator Jacobum rogavit, ut sibi ignosceret. Apostolus, aliquantum in se collectus, ait: pax tecum, & osculatus est eum. Tum ambo capite plexi. Videns Herodes, quam gratum